

I. N. 3.

DISSE^TRATI^O GRADUALIS
DE

DARIO MEDO,
ULTIMO
BABYLONIORUM REGE,

QUAM

*Consens. Ampliss. SENATUS Philosoph.
in Regia Academia Aboënsi,*

PRÆSIDE

M^{AG.} JOHANNE
BILMARK,

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & CRD.

Publice ventilandam sistit

JOHANNES GRUNDBERG,
OSTROBOTNIENSIS.

In Audit. Maj. d. XVIII. Julii Anni MDCCLXVI.

H. P. M. S.

ABOÆ

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.



§ I.

Qui Historiam Biblicalam eo, quo par est, studio pervolvunt, atque momenta notatu digna probe distingvunt, illos fuge nequit, quod in Sacro Codice mentio fiat quatuor Regum, DARII nomine olim insignitorum. De singulis pauca monebimus; sequendo tamen non tam ordinem temporum, quibus vixerunt, quam illum, quem in Sacris Monumentis obtinent. Nobis igitur primum occurrit DARIUS ille, quo ad gubernacula imperii Persici sedente, ædificatio templi Hierosolymitani, quam ex captivitate Babylonica reversi Iudei moliebantur, fuit impedita (*a*). Quisnam hic fuerit ex Persarum regibus, inter eruditos non satis convenit. Qui autem ex hoc Principe vel *Darium Medum* faciunt cum fabuloſo tertio libro ESRÆ, vel *Esse* five anticipationem cum FUNCCIO comminiscuntur, tempora & Historicum S:æ S:æ positum valde turbant. Quare cum *Darins* hic vixerit post CYRUM (*b*); alii majore jure indigitatum volunt DARIUM, Hydaspis Filium (*c*), Scriptura Sacra silentio prætereunte & CAMBYSEM & SMERDEM partim quod brevi tempore regnaverint, partim quod nihil memoria di-

dignum sub his Populo Judaico contigerit. Alter DARIUS est ille, cuius meminit NEHEMIAS (*d*), per quem multi intelligunt DARIUM CODOMANNUM, propterea quod hujus tempore vixerit Summus Iudæorum Pontifex JADDUA, quem eundem fuisse contendunt cum JADDO, qui ALEXANDRO M. Babylonem intranti obviam ivit. Sed verosimilius est, hunc Regem Persarum fuisse DARIUM Nothum, & Jadduam fuisse patrem *Jaddi* modo memorati (*e*). Tertius est DARIUS MEDUS, de quo mox plura sumus locuturi. Quartus denique est DARIUS ille, quem Macedonum Rex ALEXANDER M. superavit (*f*), atque sic imperium a Persis ad Græcos transtulit.

(*a*) Vid. ESRAE Cap. IV. & V.

(*b*) ESRAE Cap. IV. §.

(*c*) Vid. DIETELMAIRI & BALUMGARTI Comm. in S. S. Tom. V. p. 28. (*d*) Vid. Cap. XII. 22. (*e*) Vid. DIETELM. &c. Tom. cit. p. 158. (*f*) I. MACCAB. I.

§. II.

Mittimus nunc ceteros DARIOS, ea tantum pro modulo ingenii in medium jam allaturi, quæ ad ambiguum hactenus DARII MEDI ortum & præcipua facta ejus illustranda pertineant. Sequemur vero Ducem Prophetam DANIELEM in illis momentis, quæ de hoc Rege ipse nobis reliquit. Postquam igitur Babyloniorum Rex BELZASSAR non ea, quæ Regem decet, ratione se in imperio gesserat, sed turpissimis voluptatibus ita se immerserat, ut instrumentis etiam cultus Divini, quæ NEBUCADNESAR Judæis pridem eripuerat, ad augendum solummodo

uxorum suarum gaudium pessime abuteretur, Deus summam hanc temeritatem cohibiturus, miraculosa Scriptura ipsi indicavit, imperium ab illo brevi ad Medos Persasque fore transferendum. Eadem quoque festiva nocte imperfectus fuit BELZASSAR, atque DARIUS MEDUS regnum nactus est, sexaginta duos annos natus (a). Præterea notandum est, quod Princeps hic dicatur *Medus* non tantum ratione *regnis*, cui antea præfuit, sed etiam ratione *originis* seu *seminis*; ita enim Propheta (b): *Anno primo DARII, filii Abasveri, ex semine vel stirpe Medorum.* Ulteriorius quod ad ordinem succedendi in imperium attinet, notandum est, quod CYRO, primo Persarum Monarchæ, immediate præponatur (c). Immo *Darrii* hujus imperium cum Monarchia *Cyri* conjungitur (d); unde colligimus hos Principes æquales seu *συγένες* fuisse. Atque hæc præcipua sunt, quæ de ortu & genere DARII MEDI memoriæ prodit Propheta DANIEL.

(a) Vid. DANIEL. Propb. C. V. 31. (b) Cap. IX. 1. (c)
Cap. IX. & X. (d) Cap. VI. 28.

§. III.

Quandoquidem non solum jucundum, sed perquam utile sit, convenientiam Historiæ profanæ cum Sacra, quotiescumque eadem erui queat, ostendere; igitur nunc dispiciendum erit, quisnam fuerit ille Babyloniorum Rex, quem DARIUM MEDUM nuncupant Sacra Litteræ. Eques Aurat. MARS-HAM in eam ivit sententiam, quod *Belzassar* fuerit EVIL-

EVIL-MERODACH, filius NEBUCADNEZARIS, quem cum tertio imperii anno occiderit NERIGLIS-
 SOR, hunc cum DARIO MEDO plane confundit (*a*). Enimvero huic opinioni non adstipulatur Scriptura Sacra, quæ luculenter indicat, regnum Babylonicum, exstincto BELZASSARE ad Medos & Persas fuisse translatum. Sed EVIL-MERODACHO juxta BERO-
 SUM & MEGASTHENEM successit adfinis *Neriglis-*
for, quem in imperio exceptit filius LABOROSOAR-
 CHODUS & hunc secutus est NABONADIUS, qui singuli fuerunt Principes *Babylonici*. NEWTONUS existimat, *Darium Medium* fuisse CYAXARIS I. filium (*b*). Sed cum imperium Babylonicum etiam post hujus tempora substiterit, sponte sua corruit hæc opinio. Multi scriptores moti, ut videtur, auctoritate SCALIGERI (*c*) probare nituntur, *Darium Me-
 dum* fuisse NABONADIUM. Juvat autem audire ho-
 rum placita. Exstincto *Evil-Merodacho*, Rège Baby-
 loniorum, administrationem imperii in se suscepit NERIGLISSOR, qui tamen, ut eo minor esset invi-
 dia, non Regem, sed Tutorem Principis LABORO-
 SOARCHODI se salutari voluit. Hunc *LaborosoAr-
 chodum*, quem eundem esse putant cum *Belzaffaro*, quod male imperium administraret & nefaria mul-
 ta committeret, occisum fuisse perhibet in festo quodam, non a Cyro, sed a civibus, qui in perni-
 ciem ejus conspiraverant. Hoc ita è medio subla-
 to, Babylonios elegisse NABONADIUM, origine Me-
 dum, nec ex stirpe Nebucadnezaris ortum; quare in
 S:a S:a vocetur Darius Medus (*d*).

- (a) Vid. *L'Histoire universelle Sc.*, Tom. III. p. 356, 358.
 (b) Vid. *Opuscules*. Tom. III. p. m. 29. (c) In Emendat. Tempor. Libr. VI. (d) *L'Histoire des Juifs par M. PRIDEAUX* Tom. I. p. m. 278. 279.

§. IV.

Sed quod communi dicitur proverbio: *Quandoque bonus dormitat HOMERUS*, id quod ad præsens negotium saltem valet de acutissimo SCALIGERO. Videamus igitur, quibus rationum arietibus speciosa hæc opinionum arx contra strenuum hunc Promachum expugnari queat. I:o Sententia igitur, quam in muro exarandam curavit Supremus Legislator ac Judex, illam probe explicante DANIELE, satis superque indicat, regnum Babylonicum translatum iri ad Medos Persasque (a). Et mox subjungit Sacer Yates: *Quod Belzassar eadem nocte fuerit interfectus, & quod regnum ad Darium Medium pervenerit.* Sed nec in Medorum nec in Persarum Historia ullum reperimus Regem aut Principem, Nabonadii nomine insignitum, saltem talem, qui urbem tantæ molis ac potentiae, quantæ olim fuit Babylon, expugnare potuit; quare concludimus, per *Darium Medium* non indigitari Nabonadium. II:o SCALIGER plerumque ducem sequitur Berosum, sed ita tamen ut eundem temere deserat, quoties suis non faveat opinionibus. Quod in præsenti negotio valere, extra dubitationis aleam est positum. Cum enim Berosus disertis verbis adfirmet, Nabonodium fuisse Babylonum (b), SCALIGER tamen, quod ipse ita videatur, Medium fuisse adfirmat. III:o In Sacro Codice dicitur,

tur, quod *Darius Medus* imperium Babylonicum administraret ad tenorem legum apud Medos & Persas latarum (c); quod certe prius fieri non potuit, quam Medi Persæque imperium Babylonicum occupassent. Et quum hoc rursus omnibus suffragantibus Historicis, auspiciis CYAXARIS atque CYRI, non autem NABONADII contigerit; rursus colligimus, *Nabonadium* per *Darium Medium* non indigitari. IV:o Nihil fere est absurdius, quam ratio argumentandi, qua utitur SCALIGER, ut evincat, NABONADIUM fuisse & Medium & Babyloniorum Regem electum. In prædictione enim illa, quam Nebucadnezar morti vicinus fecisse dicitur, Babylonis denuncians, imperium eorum fore destructum per Persas, quam in fragmentis *Megasthenis*, quæ temporis injuriæ erepta ad nos pervenerunt, deprehendimus, hæc leguntur verba: *Veniet Mulus Persarum, qui Deorum vestrorum ope suffultus, vos in servitutem rediget, quo in negotio Medus ei suppetias feret* (d). Ex his verbis, Delphico quovis oraculo vix clarioribus, colligit Scaliger, *Nabonodium* fuisse origine Medium. Si autem ab ipso quæramus, unde demum hoc constet, ipsum adseverantem audimus, *Nabonodium*, quum se a Cyro vinci passus sit, occasionem dedisse Cyro imperium Babylonicum expugnandi, adeoque hunc & non aliud fuisse Medium, in quem digitum sua prædictione intenderit Nebucadnezar, & proinde non potuisse non e Medorum gente esse ortum. Adferre autem argumentum hujus generis, idem plane est ac illud refutare. Quare etiam ISA-

cus VOSSIUS simpliciter adfirmat, quod rationes, quas attulit Scaliger ad ostendendum, Nabonadium fuisse Darium Medium, magno hoc viro prorsus sint indignæ (e).

(a) Cap. V. 28. (b) Vid. JOSEPHI Antiquit. Libr. X.
Cap. II. (c) DANIELIS Propb. Cap. VI. (d) Vid. EUSE-
BII Preparat. Evang. Libr. IX. (e) Vid. Chronol. Sacr. p. 144.

§. V.

Verum ut rimæ omnes SCALIGERI adseclis obturantur, dubia nonnulla, quæ ab his adferri solent, erunt adhuc resolvenda. I:o Igitur monent, quod *Darius Medus* dicatur regnum accepisse. In fontibus occurrit verbum ἡρός, quæ vox bellicam & armatam vim excludens, id innuere videtur, *Darium* hunc regnum Babylonicum communi Procerum consensu accepisse. Quocirca perquam verisimile est, quod *Cyrus*, occupata Babylone, civibus hujus urbis proposuerit, ut avunculum suum, CYAXAREM, Principem probum, fortem & prudentem, sibi Regem eligerent; quam conditionem tanto magis probarunt, quod ex antiqua Regnum Babyloniorum stirpe nullus supererisset, nec quisquam procerum esset, cui in turbato hocce rerum statu habenas imperii commode possent committere. Alterum est, quod in Canone M. PTOLOMÆI ultimus Babyloniorum Rex dicatur Νασόνδος; verum cum Cyaxares brevissimo solum tempore regnaverit, *Ptolomæus* more, Græcis Scriptoribus familiari, hunc facile omittere potuit; sicut ipse nullam quoque mentionem facit

NERI.

NERIGLISSORIS, quamvis in confessio sit, quod per
 IX menses Babylone regnaverit, civesque suos val-
 de vexaverit. Quibus addimus, quod cum summa
 imperii reipsa fuerit penes *Cyrum*, quamvis hic, qua
 fuit modestia, primas in regno partes avunculo *Cya-*
xari sponte deferret, ejusque iussa saepe capesseret,
Græci Scriptores, sepositis cærimoniis, *Nabonadium*
 ultimum Babyloniorum Regem nuncupant, eique
 successisse *Cyrum* perhibent. Illo observant, quod
SCALIGERI opinioni admodum faveant *HERODOTUS*,
CTESIAS, *BEROSUS*, *MEGASTHENES*, aliique nu-
 mero plurimi, qui *Cyaxarem*, *Astyagis* filium, plane
 ignorant. Sed quid de hoc argumento statuendum
 sit, mox pluribus dispiciemus.

§. VI.

Inter Historicos instar Patriarcharum quorun-
 dam semper habiti fuerunt *HERODOTUS* atque
CTESIAS, quorum verba tanquam oracula ex tri-
 pode dicta multi exceperunt. His autem longe præ-
 ferendum esse *XENOPHONTEM*, aliosque, qui eas-
 dem res diversa ab illis ratione proponunt, plurimi
 tam argumentis, quam doctorum virorum testimo-
 niis adstruere nituntur. Attamen cum *Diodorus Si-*
culus testetur, *Ctesiam* ex Regiis membranis, quæ in
 Archivis Persicis adservabantur, studiose singula col-
 legisse, quæ ad opus suum *Historicum* perficiendum
 spectarent, cumque hic *Scriptor* ex professo id ege-
 rit, ut *Herodotum* mendacii convinceret, uteisque ve-
 ro tam *Herodotus* quam *Ctesias*, quanvis in multis

discrepent, in eo tamen amice consentiant; quod *A-*
styages nullum filium, sed filiam solummodo MAN-
 DANEM reliquerit, vi regularum de probabilitate
 Historica colligunt, in ipsorum testimoniiis quoad præ-
 sens negotium esse acquiescendum. Huic argumen-
 to maximum, ut censent, pondus addit effatum CI-
 CERONIS, qui *Xenophontem*, Historicum non satis i-
 doneum agnoscit. Testatur enim, *Xenophontis libros*
non ad Historiae fidem, sed ad effigiem justi imperii es-
se conscriptos (a). Nihilo tamen minus si nostram
 sententiam libere profiteri liceat, majorem fidem *Xe-*
nophonti, quam *Herodoto* habemus, quamvis hic se-
 pem circiter lustris illo antiquior fuerit. Erat enim
Xenophon magnus Philosophus, magnus Historicus
 & magnus Imperator, qui stipendia diu meruit a-
 pud *Cyrum Juniorem* in bello, quod contra fratrem
 ARTAXERXEM MNEMONA gessit & intima ejus
 usus est familiaritate, qui etiam ab eximio hoc Prin-
 cipe, quæ de majoribus ejus notatu digna essent, sol-
 licite percontatus est. Refert quidem *Ctesias*, quod
 vel ipse viderit vel a Persis ea mutuo acceperit,
 quæ de his memoriæ prodat. Sed fidem tamen a-
 pud paucos invenit; quare etiam ARISTOTELES
 eum vocat scriptorem *καὶ αξιόπιστον*. Non equidem
 negamus, quin XENOPHON operi suo inferat va-
 ria, quæ ad institutionem boni Principis plurimum
 faciant, sed propterea Principum facta, quæ addu-
 cit, in dubium non sunt vocanda, siquidem ipsam
 probabilitatem spirare videantur. Contra ea *Hero-*
dotus suis narrationibus multa adsingit, quæ ad ina-
 nem

nem solummodo admirationem excitandam faciant.
 Quamobrem etiam fatetur DIODORUS SICULUS: Herodotum portenta narrationum pro veritate sponte amplexum & voluptatis gratia fabulas commentum deblatasse (b). Esto igitur, quod Diodorus Siculus, Trogus, Justinus, Strabo, Polyænus, Laelius, Augustinus, aliquique sequantur Herodotum; nihil omnino fide Xenophontis ita decedit, cum ceteri ex Herodoti rivis sua irrigaverint arva, & relata tantum referant. Hinc quoque præstantissimi quilibet Historici, qui cum judicio aliquid litterarum monumentis consignarunt, quique simplicem veritatem magis, quam argutas amant conjecturas, Xenophonti potissimum in Historia Cyri adsurgunt.

(a) Epist. I. Libr. I. ad Quintum fratrem. (b) Vid. Libr. I. Cap. LXVIII.

§. VII.

Vindicata jam auctoritate Xenophontis ad DARIUM MEDIUM revertimur, illo duce ad palatia hujus Regis perventuri. Refert autem ille, ASTYAGEM, Medorum Regem, duos genuisse liberos, filium CYAXAREM & filiam MANDANEM, quæ in matrimonium data fuit CAMBYSI, Persarum Regi, atque his parentibus natales debere CYRUM, primum Monarchiæ Persicæ conditorem: Mortuo Astyagi Cyaxarem in imperium successisse, qui quum gravissimo cum Babylonis destineretur bello, Sororis suæ filium e Persia in subsidium vocasse: hunc rursus, quo fuit impigro animo & gloriæ adquiren-

dæ cupidō mox ad volasse, tantoque successu usum
fuisse, ut non solum exercitus Babyloniorum, qui
in aciem iterum iterumque processerant, fortiter
dissipaverit, sed etiam urbem Babylonem, aquis flu-
minis Euphratis in novos alveos detortis, festo quo-
dam die expugnaverit, singulis fere civibus somno
vinoque sepultis. Duravit tamen hoc bellum per
viginti unum annos (a), quod a parte Babylonio-
rum successive gesserunt NERIGLISSOR, LABORO-
SOARCHODUS & NABONADIUS (b). Occupato au-
tem hoc Regno, Cyrus summam imperii detulit avunculo CYAXARI, in Media tunc forte degenti, nec
non dimidiā spoliorum, Babylone captorum, par-
tem, tantumque effecit, ut Babylonii Cyaxarem Re-
gem eligerent. Hæc XENOPHON. JOSEPHUS et-
jam, accuratissimus rerum Judaicarum Scriptor, me-
moriæ prodit, Darium ejusque Socium Cyrum de-
struxisse Babylonem. Idem quoque testatur, Darium
fuisse filium Astyagis & quod hoc nomine innotue-
rit Græcis. Unde dilucide patet, Darium Medium fuis-
se eundem, qui a Xenophonte dicatur CYAXARES.
Verum insuper est, quod S:a S:a Dario Medo seu
Cyaxari imprimis tribuat destructionem Babylonis,
quamvis hic illis apparatus vix interfuerit, id
quod triplici de causa, ut Hieronymo videtur, factum
est. Nam 1:o Cyaxares erat major natu. 2:o Quod
Medorum potentia eo tempore major fuerit, quam
Persarum. 3:o Quod avunculi titulus sit honoratior,
quam nepotis (c).

(a) Vid. XENOPHONT. *Cyropaed.* Lib. VII. pag. m.

189 - 192. (b) *Vid. L' Histoire Universelle &c, Tom. III. p.*
n. 353. (c) *In Comment. in DANIEL. Cap. V.*

§. VIII.

Ex his indiciis jam allatis sponte sua, ut nobis videtur, sequitur, quod CYAXARES fuerit DARIUS ille MEDUS, de quo Propheta Daniel loquitur; quod plenissime constabit ex convenientia Historiae Xenophontis cum Scriptura Sacra. I:o Adfirmat enim Daniel, Darium hunc fuisse ex semine Medorum; id quod egregie quadrat in *Cyaxarem*, minime vero in *Nabonadium*. II:o Fuit, prælucente S:a S:a, *Darius Medus Ahasveri filius*, *Cyaxaris autem Pater erat Astyages*; cumque *Ahasverus & Astyages eodem tempore*, docente Chronologia, vixerint, eidemque regno præfuerint, concludere fas erit, quod unica persona diversis his nominibus indigetur. III:o Prædicendum curaverat DEUS, regnum Babylonicum ad Medos & Persas translatum iri; quod rursus convenit Cyaxari, quippe cuius auspiciis Cyrus, Medorum & Persarum opibus suffultus, Babylonicum expugnavit imperium. Notanter etiam Scriptura S:a priori loco nominat Medos, idque ob tres illas rationes, quas ex Hieronymo in §. antecedente attulimus. IV:o Testatur Propheta Daniel, quod Darius Medus fuerit sexaginta duos annos natus, quando habendas imperii Babylonici capessivit. Inter omnes vero Historicos melioris notæ convenit, quod *Mandane*, *Astyagis filia*, data fuerit in matrimonium *Cambyſi*, Regi Persarum, eo-

dem die, quo natus est Cyaxares, & quod Cyrus ita uno anno minor fuerit Cyaxare. Jam vero CICERO testatur, quod Cyrus ad septuagesimum annum pervernerit, cum quadraginta annos natus regnare capisset (a), scilicet simul cum Cyaxare. Ergo Cyaxares, quando solium paternum conscendit, fuit annos XLI natus. Idem vero Cyaxares cum Regibus Babylonicorum per XXI annos bellum gessit, antequam Babylone potitus fuit. Ergo dum Cyaxares solium Babylonicum conscendit, & hoc imperium cum Medico conjunxit, fuit sexaginta duos annos natus, prorsus uti docet S:a S:a. V:o Inter Darium Medium & Cyrus nullum Regem regnasse, ex Prophetia Danielis colligi potest. Docet quoque Xenophon quod Cyrus avunculo Cyaxari in imperium successerit; immo quod Cyaxares, ut Cyro dignum laboribus & periculis, jam exantlatis, præmium daret, obtulerit ei in matrimonium filiam suam, quam unicam suscepserat, & proinde heredem omnium terrarum sibi subjectarum futuram; quam conditionem nec adspersnatus fuit Cyrus. Qua quidem ratione vastam illam Persarum Monarchiam postmodum facile constituit. VI:o Darium Medium brevi admodum tempore regnasse, ex Libro Danielis adfatum colligi potest. Docet quoque Xenophon, Cyaxarem per duos tantum annos vastum imperium tenuisse. VII:o Nec denique hoc loco erit reticendum, quod Propheta Daniel testetur, se anno primo Darii Medi in librorum lectione considerasse numerum annorum LXX captivitatis per JEREMIAM Divinitus definitorum, ideo-

ideoque serias ad DEUM pro populo Judaico; in libertatem jam restituendo, fudisse preces. *Enim vero Nebucadnezar, testibus Chronologis, populum Judaicum in captivitatem Babyloniam abduxit An. 605 ante nat. Christum & Babyloniam imperium occupatum fuit a Dario Medo seu Cyaxare An. 536. ante N. C.* Ergo habemus hic rursus annos LXX. *Cyrus autem, qui anno sequente Cyaxari successit, Iudeis libertatem concessit in patriam redeundi & templum iterum Hierosolymis exstruendi.* Quibus omnibus momentis probe, ut decet, perpensis, *ne-
mo, nisi qui in meridiana luce cæcutire velit, du-
bitare potest, quin Cyaxares fuerit Darius Medus.*

(*) Vid. *Libr. 1. de Divinatione.*

§. IX.

Videamus jam quam brevissime quid præstiterit *Darius Medus*, postquam imperii Babylonici gubernaculo fuit admotus. Probe secum consideravit, vastissimum hoc Regnum brevi vel sua mole fore corruiturum, nisi convenientem in illo ordinem stabiliret, quamobrem imperium in CXX provincias divisit, quibus rursus præfecit viros, quorum fidem exploraverat. Ne autem, quod facile fieri posset, sua abuterentur potentia, tres Ephoros Babylone constituit, quibus Gubernatores Provinciarum rationem negotiorum quotannis redderent; quorum triumvirorum in numero fuit etiam Propheta Daniel. Sed sicut invidia virtutis est comes, & illius telis

telis maxime pateant, qui in excelso honorum culmine sunt constituti; ita Proceres Babylonici splendidam Danielis conditionem iniquo ferentes animo, *Dariam Medium*, legum patriarcharum exactissimum custodem, adeo circumvenerunt, ut præceperit, Danielē ravidis leonibus, speluncæ inclusis, objici. Sed horum tamen faucibus modo plane miraculoſo fuit ereptus; quo facto eadem poena in ipsos parasitos fuit statuta, adeoque in hos apprime quadrat; Quo quis peccat, eodem punitur & ipse. Verum pluribus Regis hujus Historiam persequi, vetat angustia tam temporis, quam facultatum. Hic itaque subsistimus, B. L. prius rogantes, velit quicquid a tenui nostra Minerva jam fuerit profectum meliorem in partem interpretari.

S. D. G.

